



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Appendix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

rias, anno 1303. De eo Ephemerides.

XVI. Kal. Martij Anniversarium Domini Godefridi
de Holveltz quondam Abbatis S. Maximini Trever.

A P P E N D I X.

Margaritæ Henrici VII. Imperatoris Romanorum Soror fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, & post Poncettam Meisenburgiam creatur Priorissa. Sub eâ mirificè floret MARIÆ Vallis. Cultus ibi Divus Petrus Martyr. Eius Sepulchrum & Elogium.

HActenus argumentis satis dedisse videor, verè Hermannum scripsisse, cum Yolandæ memoriam dixit in magnâ fuisse optimatum illustriumque hominum existimatione; cui rei pro coronide addo accessionem gloriæ ingentem MARIÆ Vallis factam à Margaritâ, sorore Henrici, ex Comite Luciliburgensi Imperatoris Romanorum eo nomine VII.

Hæc Yolandæ exemplo, Ordini D. Domini-
ci sese dicavit ad MARIÆ Vallem. Ibi iam Catharina incompertæ stirpis, cuius exstant tabulæ anni 1285. Yolandæ in Antistitis munere successerat, hancque ordine in eodem Magistratu exceperant Poncetta Meisenburgica & Aleyda, cuius meminere tabulæ anni 1303, cum tandem
Mar-

Margarita in Priorissam electa est. Eâ autem rerum potente vel maximè cenobium effloruit, tum re familiari atque ædificijs amplificatis, tum Principum gentis Luciliburgensis, aliorumque summorum virorum, gratiâ atque favore, tum verò maximè virtute & disciplinâ. Et disciplinam quidem, simul atque familiæ Præses esse cepit, longè florentissimam invenit, quod vel ex Sanctimonialium numero, qui tum centenario maior erat, intelligitur. In tabulis enim Boemundi Trevirorum Archi-Episcopi, editis anno 1297. proximè post Poncettæ Meisenburgicæ decessum, sub ipsa Margaritæ initia, scriptum invenio, fuisse Sanctimoniales ad MARIAE Vallem centum fere & viginti. Et verò hodieque in choro virginum spectantur totidem sedilia, hymnis divinisque laudibus decantandis, opere perantiquo elaborata, quanto argumento piæ æmulationis & certaminis in virtute colendâ, dum alia alteri palmam in eo genere eripere studeret, ut in magno proborum numero fieri assolet!

Nec privatim tantùm mores tum florebant, sed foras etiam pietas vulgò emicabat. In iisdem quippe tabulis scriptum est, *hospites innumera- biliter ad MARIAE Vallem confluere*, & liberalissimè à Sanctimonialibus accipi solitos. Nimirum sanctitate loci tot exciti mortales, sacra D. Virginis limina, aut fortè iam tum etiam D. Petrum Martyrem, cognomento Mediolanensem, magnum illud ordinis D. Dominici lumen, supplices
L adibant

adibant. Certè perantiquum esse eius Divi ad Vallem MARIAE cultum, pro indubitato accepimus, & iam sub annum 1267. Johannes à Jubileo, Canonicus Leodiensis, ex veteri nobilique vico Judicio propè Theodonis Villam oriundus, pro se & Henrico Episcopo Traiectensi, Yolandæ fratre, lege funebri sancivit, ut dicerentur tres Missæ per singulas hebdomadas S. Petri Martyris. Exstat in sacrario ædis MARIAE Vallis statua D. Petri pervetus, ingenti cerimonia venerabilis. Pueros adferunt, & bilanci impositos, pari pondere frumenti redimunt, tantâ frequentia, ut omnibus fermè diebus ea cerimonia cum prece votorumque solutione obeatur, valetudine innumerabilibus pueris restituta.

Ceterùm, vt disciplinam florentem Margarita in Præfecturæ suæ initio invenit, ita eam naviter excoluit, cum rei familiaris optimè procurato auctario. De pecunia ingenti, deque structuris, quibus cœnobium adauxit, scriptum est in eius elogio, quod postea subnectam. De Principum Luciliburgensium aliorumque Margaritæ amicorum benevolentia ac liberalitate, ista diversis diebus in Ephemeridibus habentur, quibus commemorandis, ordine temporum feremur, adiectis subindè observationibus.

Henricus Comes Luciliburgensis, Margaritæ frater, ad imperium evectus & in Italiam profectus, Brixiam anno 1310. obsedit. In eâ obsidione Walramus eius frater sagittâ ictus occubuit. Ephemerides.

IX. Kal.

IX. Kal. Augusti Obijt Illust. Dominus Walramus, germanus serenissimi Domini Henrici Imperatoris, de quo habuimus V. libras annui census in molendino, quod dicitur Passinowin, sito apud Lucenburg.

Anno sequenti 1311. immenso Cæsaris luctu Margarita eius uxor Genuæ decessit. Ephemerides.

Idus Decembris obijt Illustrissima Domina Margareta, quondam Imperatrix, quæ nobis multa bona fecit, & in promptâ pecuniâ nobis dedit D. libras Turonenses.

Bizarrus Genuæ sepultam tradit. Tanta tamque cara funera secutus est ipse Henricus Augustus, mortuus in agro Senensi anno 1313. 19. Kal. Augusti. Ephemerides.

XI. Kal. Septembris anniversarium Serenissimi Principis Domini Henrici, quondam Imperatoris, Romanorum qui prosecutione favorabili nos & nostrum monasterium semper paternè protegens, in perpetuum & annuatim nobis dedit V. carratas vini in Makeren. Hâc die habebit conventus ad pitantiam V. libras.

Non possum hoc loco mihi temperare, quin Augusti illius Henrici nostri Imperatoris attexam insigne elogium ex Ordolfo, qui iussu Balduini Archi-Episcopi Trevirensis, fratris Henrici Augusti, composuit historiam Trevirorum. Fuit inquit, torneamentorum à mari usque ad mare in inventute semper questivus, in quibus inter ceteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur. Index erat iustissimus; pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promptissimus defensor, raptorum

rum, malefactorum, tyrannorum, regidissimus exterminator; semper illud gerens animo: Iuste iudicate filij hominum. Omnibus enim sicut affabilis & benignus: in quibus tamen seriositatem indicibilem, prudentiæ quoque & discretionis amoenitatem nullo unquam tempore deserebat. Virtutem & bonorum morum concatenationem optimam cum temperantiâ iugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore benignissimè conformabat, omnibusque se ita socialem & tractabilem præbebat cum intermixtione, ut dixi, officij dignitatis, quod ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur: & tamen his quæ sunt mundi mundo reddendis non segniter, non minus, quæ sunt Dei; Deo noscitur reddidisse. Nam cum Domina Margareta, sorore Ducis Brabantia sua collateralis præelecta, ita continenter à tempore contracti matrimonij creditur vixisse, quod nunquam ad aliquam aliam adhuc post eius obitum dicitur accessisse. Capella quoque suæ ornamenta, missalia magni ornatus ac pretiosa, ad quacunque perrexit loca adhuc Comes existens, suis cum somarijs circumvehere faciebat: & omni die coram se & collateralis sua, quando aderat, suos electos per Cantores, canticis cum musicalibus, Missas & Horas canonicas, impedimento non interveniente, sed impedimento urgente, Vesperas saltem & Completorium, & hoc nullo die præmittendo, celebrare solemniter faciebat. In Missis vero audiendis, Horisque canonicis cum die dicendis maximam devotionem pollebat. Itaque suis Sacerdotibus Capellanis, maximam dicitur devotionem præstitisse. Hastenus Henrici VII. non tam verborum elegantiam, quam rerum excellentia æstimanda laus, non Lucili-

burgen-

burgensibus tantum nobis, sed exteris quoque; quin & in exemplum proponenda summis Regum Cæsarumque fastigijs. Porro Henricum veneno sublatum à Patribus Dominicanis, etsi confutissima pridem est calumnia, addere tamen confutationi pondus egregium liceat, ut qui Yolanda rebus conscribendis, Ordinem D. Dominici non modicè illustrasse videor, depellenda ab eodem sacro ordine tam foeda labe, hac quoque in parte honori eius atque gloriæ velificem. Cono Falkestenius Trevirorum Archi-Episcopus librum conscripsit, cui titulus *Chronicon Trevirorum*. In eo libro scribens de morte Henrici, *Dominus Thomas*, inquit, *de Septemfontibus, cui multum familiaris fuit, in cuius sinu obdormivit, dixit, eum dysenteria decessisse, quod verum esse creditur.* Fuit porro gens in provincia nostra Equestris de Septemfontibus, arcem habens gentilitij nominis, haud horæ unius itinere à MARIAE Valle, ad quam nunc redeo. Eam Beatrix Henrici VII. mater eximiè coluit. Paternam domum & filij sui Henrici Augusti natalibus Valentinianis illustrem, condendo Virginum Dominicanarum cœnobio, cui à Belomonte nomen, unâ cum filio Henrico donavit, isque donationem Mediolani 3. Nonas Martias, anno 1311. indictione 9. regni anno 3. ratam habuit. Ei cœnobio Margarita nostra, Henrici soror, præesse iussa est, retentis tamen simul Vallis MARIAE gubernaculis. Nono post hæc anno Christi 1320. 5. Kal. Martias Beatrix decessit.

De eâ ex Ephemeridibus suprâ titulum attulimus. Luciliburgensium Principum familiæ, etsi non sanguine, multis tamen alijs nominibus implexus fuit Petrus Archi-Episcopus Moguntiacensis. Natus apud nos gente equestri Aspeltiorum, seu, ut quondam loquebantur, Adaspeltiorum, quæ gens, ut cæteræ ferè nostrates ordinis equestris, arcem habebat appellatam de suo nomine, leucis à Luciliburgo duabus, quâ Remacum ad Mosellam excurritur. Fuerat Petrus Archiater Henrici 7. Imperatoris etiamnum Comitis. *Physicos* eâ ætate appellabant; nec erat dedecori viris nobilibus medicinam profiteri. Missus ab Henrico Ricardos ad Clementem V. Pontificem Maximum ut Balduino fratri suo Moguntiacenses infulas impetraret, ita Pontifici placuit, ut petitum pro alio decus, in ipsum contulerit. Offensus est eâ re summoperè Henricus. Sed ut appareret divina hic intervenisse consilia, Petrus deindè Henrico ad Imperium Romanum adipiscendum fuit præcipuus adiutor. Quid Porro MARIAE Valli Petrus contulerit, ita consignatum in Ephemeridibus.

VIII. Idus Iunij Anniversarium D. Petri Archi-Episcopi Moguntini, de quo habuimus 61. libras.

Decessit anno 1320. Prid. Non. Junij.

Triennio post hæc, anno Christi 1323. Joannes Boemiæ Rex, Henrici 7. filius, Margaritæ nostræ nepos, in cœnobio MARIAE Vallis coram adfuit, suæque (in id cœnobium propensæ voluntatis

Iuntatis testimonium reliquit. Nam ius Patronatus trium Parœciarum, D. Michaelis Lucilburgi, Rurenſis, & Danvillerij, cœnobia dedit, volens id bono eſſe atque ſaluti ſuæ, Auſtiffimorumque parentum, Henrici Imperatoris & Margaritæ coniugis eius, ac etiam ob reverentiam (lubet enim tabularum verba ponere) & dilectionem præclara & religioſæ ſororis Margareta de Luxemburg, amita noſtra cariffima, veſtrique præſati monaſterij nunc Prioriffæ, quæ unâ vobiſcum Deo dicata divinis laudibus inſiſtit. Tabulæ porrò conditæ ad MARIÆ Vallem, & à Rege ibidem ſignatæ 7. Idus Auſtiffi.

Felicitas Henrici 7. Imperatoris ſororum duarum natu minor, nupta primùm fuit Henrico de Lovanio, orto ex Ducibus Brabantia, liberosque ex eo ſuſcepit Henricum, Joannem. & Beatrix. Sed mortuo coniuge annos nata tunc 22. ordini D. Dominici Bellomonti Valentinianis ſe dedit anno 1328. Facta deindè eſt cœnobia Antiffes, cedente nimirum ſore Margarita, ac tandem anno incomperito deceſſit, prid. Nonas Octobris, ut habent tabulæ Bellomontanæ. At Ephemerides noſtræ die alio,

V. Idus Novembris obiit illuſtris ſoror Felicitas de Luxemburgo, germana ſereniffimi Principis Domini Henrici, quondam Imperatoris, quæ erga conventum noſtrum ſpeciali ſemper afficiebatur dilectione.

Hunc fructum Margarita virtutis ſuæ à parentibus atque amicis retulit, cum tandem anno

1336. decessit, terreno fructui præmium iunctura cæleste. Insigne eius est elogium in Ephemeridibus.

XV. Kal. Martij, Anniversarium venerabilis ac illustrissimæ Dominae sororis Margaretae de Lucemburgo felicitis recordationis, matris nostræ amantissimæ, germana serenissimi Domini, Henrici quondam Imperatoris Romanorum, quæ vitâ præclarâ, conversatione laudabili, omnique venustate virtutum cunctis eminentior, totius religionis forma & exemplar existens, plusquam quadraginta annos, nostrum monasterium rexit providè, sanctè, atque maternè, quam plures, tam seculares, quàm religiosos, suâ bonitate gratiosaque charitate trahendo ad ædificationis exemplum. Domum etiam nostram atque conventum in possessionibus ædificijsque diversis multipliciter augmentavit. Pro his & alijs multis necessitatibus nostris in prompta pecunia dedit. De suis ad valorem bis mille librarum largissimè contulit, cum inenarrabilibus bonis, quæ sigillatim exprimi non possunt. Insuper & in *Volkringen* bona comparavit de suis pro C. & 20. libris ad æstimationem 27. librarum annui redditus. Sicque dulcis mater gloriôsè & ædificatoriè vivendo, omnibus suis posteris totius religionis ac sanctitatis relinquens exemplum, presentis vitæ cursum feliciter in Domino consummavit, anno Domini 1336. Post eius decessum de suis extremis & alijs ad suam venerandam personam solemnitatibus huiusmodi, habuimus C. & 20. libras, de quibus pro sua tumba faciendâ 85. pervenerunt, reliquæ verò cedebant ad utilitatem conventus. Hac die habebit conventus ad pitantiam solemnem 12. libras de bonis de *Volkringen* prædictis.

Quod

Quod in hoc elogio, Margarita *plusquam quadraginta annos monasterium rexisse dicitur*, id à vero alienum est, si, quod in eodem elogio habetur, obiit anno 1336. ab hoc enim anno, si retrò numeres ad annum usque 1303. quo Priorissa erat Aleyda, anni reperiuntur tantùm triginta tres, hoc est, septem minus quàm quadraginta. Neque rectius catalogus Priorissarum MARIAE Valis (de quo postea) tempus regiminis Margaritæ definivit, annis ei assignatis triginta novem. Quos errores, fateor, promptius esse mihi deprehendere, quàm corrigere.

Tumba porrò, de quâ in eodem elogio, etiamnum exstat in *choro* Virginum, facta ex solido saxo cum statuâ Margaritæ cubante, habitu Sanctimonialis. Suprà arcum, sub quo intrà murum tumba est, legitur hæc epitaphij pars litteris nigris, & antiquis.

,,,,,, TUMULATA
PRINCIPIBUS NATA PRUDENS QUO-
QUE MATER AMATA EXEMPLAR-
QUE DATA VIVENDI SORTE BEA-
TA CELICA DICATA FIDE MARGA-
RETA VOCATA QUID DICAM PLU-
RA FELIX FUIT HÆC.

Suprà epitaphium hoc assurgunt utrimque per arcum Parmæ gentilitiæ his notatæ insignijs.

L 5

PARMA

Parmæ à Capite exurgentes.

- | | |
|---|---|
| <p>1.
In Parmâ aureâ aquila nigra.</p> <p>2.
CruX æquali latitudine undique ad oras Parmæ pertingens, rubea, metallo ignoto.</p> <p>3.
Leo, rursus extrito metallo.</p> <p>4.
Fasciæ tres transversales rubeæ in dextram pronæ, metallo ignoto.</p> <p>5.
Parma, confita lilijs aureis, cærulea.</p> <p>6.
CruX Ungarica rubra, metallo evanido.</p> <p>7.
Fascia in fronte Parmæ, lata, rubea, & sub ea fasciæ ternæ strictiores rubræ, in dexteram pronæ, nullo metallo.</p> <p>8.
Leo argenteus in areâ rubrâ.</p> | <p>9.
Leopardi tres in Parmâ russâ.</p> <p>10.
In argenteâ Parmâ fasciæ tectæ vitris cæruleis.</p> <p>11.
Leo linguatus ignoti metalli, in areâ cæruleâ.</p> <p>12.
Leo niger in auro.</p> <p>13.
Aquila nigra in auro.</p> <p>14.
Deest.</p> <p>15.
Deest.</p> <p>16.
Deest.</p> |
|---|---|

Parme

Parmæ succrescentes à pedibus.

1. Leo argenteus in Parmâ rubrâ.

2. Leo ruffus, in metallo non internoscendo.

3. Crux rubea, æquali latitudine ad oras Parmæ undique pertingens, metallo deleto.

4. Leo rubeus, metallo extrito.

5. Fasciæ tres rubeg, in dextram prone, metallo ignoto.

6. Leo niger in auro:

7. Parma quadripartita. In singulis quadrantibus Leo: sinister, cum alterno, aureus: dexter, cum alterno, rubeus. Metalla evanuere.

8. Aquila nigra in auro.

9. Rhombi transversales, nec colore, nec metallo noto.

10. Parma rubra, cum fascia media, metalli ignoti.

11. Leo rubeus, in trabis Luciliburgensibus.

12. Leo argenteus, metallo non cognoscendo.

13. Deest.

14. Deest.

15. Deest.

16. Deest.

L 6

Habent

Habent hîc stemmatum concinnatores amplam commentandi materiam; quâ eis permîsâ unicum Balduini Trevirorum Archi-Episcopi, fratris Henrici 7. Imperatoris & Margaritæ nostræ, ex Ephemericibus MARIAE Vallis attexam elogium.

XI. Kal. Februarij Anniversarium venerandi ac prælati Patris & Domini, Domini Baldevini Archi-Episcopi sanctæ Ecclesiæ Trevirensis, germani Serenissimi Principis Henrici quondam Imperatoris Romanorum, qui spectabili vitâ multarumque odore virtutum ceteris eminentius præpollens, Ecclesiam suam multis modis fructuosè tenuit, laudabiliter rexit & gloriosè. Ipse inter cætera pietatis opera, quibus abundavit, nos humiles de suâ gratiâ in filias singulares paternè eduxit, in omnibus nostrum monasterium tangentibus, utpote principaliter pater pro nobis semper existens promotor & defensor. In præcipuis quoque festivitacibus per annum de suâ bonitate nos multoties personaliter visitare, & benignè consolari dignatus, formam, &c. Nam ab eodem adhuc vivente recepimus diversis vicibus in eleemosynis usque ad summam 300. librarum; & pro Anniversario suo in decima de Rure singulis annis 9. libras nobis providè assignavit.

Obijt Balduinus 12. Kal. Febr. anno 1353. ita Hermanno fidem, nisi fallor, abundè adstruximus, referenti ad Yolandam, eiusque venerationem, quidquid ad sua usque tempora viri magni in MARIAE Vallem studij atque favoris contulerunt. Cumque his finem huic operi imponimus.

NOTA

NOTATIONES.

IN TITULUM.



VENERABILIS. Franciscus Lahierius Lotharingus, vir in Societate nostrâ eruditus, scripsit Gallicè Menologium Virginum; & ad Nonas Maias, tradit, venerabilem Yolandam in provinciâ nostrâ eo die coli atque in ordine D. Dominici haberi Beatam. Habitavit Lahierius annis aliquot in hoc collegio rebus in Lotharingiâ turbatis; verum undè ista de Yolandâ hauserit, nescio. Ego tale nihil inveni, nec Yolandæ nomen in PP. Dominicanorum Martyrologio comparet; præterquam quod Yolanda obiit 16. Kal. non Nonis Maij. Cantipratanus quidem *beatissimam* eam appellavit, sed honoris vocabulo.

EX HERMANNO. Quis ille, cuius fuerit, ne divinando quidem possum assequi; nisi quod constat fuisse ex ordine aliquo sacro; haud dubium, quin, D. Dominici. Nomen autem eius non in fronte libri positum est, sed in processu velut intrusum, cum Yolandam narrat Salsinio cum matre reducem, & spe sacri Ordinis adipiscendi deiectam, lætitiæ se atque hilari vitæ dedentem. Ita enim ibi ad seipsum.

Du saget bruder Hereman/
 Wo lit der gude Dille dan/
 Den si bi iungen dagen dzug/
 Da sig dat kind bit ruden slug
 Ond da si nunne wolde sin?

Cedo, nunc, frater Hermanne,

Vbi ergò bona voluntas,

Quam gerebat atate tenerâ,

Cum puella se virgis cederet,

Cum Sanctimonialis esse vellet?

Mos autem est scriptorum eius ævi, non præ-
 figere nomen suum libris, sed in decursu alicubi,
 velut obtrudere. In Bibliothecâ Nobilis Viri
 Joannis Baptistæ Wilthemij, quam à parente
 præside amplissimam accepit, sunt libri duo rhy-
 thmis Germanis fabulam enarrantes in eo gene-
 re, quod *Romances* Hispani, Galli *des Romans*, ap-
 pellant. Scriptus ille anno 1372. fabulamque con-
 tinet Guigaloisij, Gavini, equitis tabulæ rotun-
 dæ, filij, auctore Wirico de Gravenberg; quod
 nomen post aliquot folia positum. Alter fabu-
 lam exequitur cuiusdam Wilhelmi ducis, atque
 in medio opere nomen edit auctoris, quod est
 Vlricus ab Etzenbach. Digreditur autem eo lo-
 co in laudem Bohemiæ & Wenceslai Regis, eius-
 que patris Ottocari, meminitque Wolfram de
 Etzenbach, eius, qui Hermannum Thuringiæ
 Landgravium cecidit.

De Yolandâ porrò antè Hermannum videnter
 aliqua

aliqua fuisse scripto comprehensa. Ita enim ipse in fine, **Man lifet van der guden**; legitur de bonâ.

AD CAPUT. I.

DIVO LUDOVICO GALLIAE REGI SANGUINE IUNCTA. Patet id ex hoc schemate Genealogico in averſa pagina ſpectando, iuxta quod fuerunt in pari conſanguinitatis gradu D. Ludovicus IX. Galliae Rex & Yolanda, Ludovici Craſſi, ille abnepos, hæc abneptis.

NATA SUB ANNUM 1231. Pendet hæc chronologia ab anno mortis Yolandæ. In Ephemeridibus **MARIAE** Vallis dicitur obiſſe anno 1281. ſed cum eæ Ephemerides non ſint autographæ, ſed ſcriptæ ex vetuſtiore codice (quod patet ex formâ litterarum ubique æquali, & tali qualium erat uſus antè ſeſquiſeculum) non eſt tantâ earum auctoritas, quanta eſt epitaphij, quod litteris ſæculi duodecimi deſinentis, & decimi tertij naſcentis, ſcriptum eſt, traditque, Yolandam obiſſe, ut dixi, anno 1283. 16. Kal. Ianuarias. Hic ergò certus annus Yolandæ mortis habendus eſt, hocque poſito fundamento, inquirendi anni vitæ eius. In epitaphio vixiſſe dicitur annis 50. ſed *circiter*; ut nihil certi hinc conſtitui poſſit. Ex Hermano, anni vitæ eius fuiſſe videntur 52. Narrat enim quindecennem velum primò ſumpſiſſe ad **MARIAE** Vallem: biennio deindè

	Philippus Rex cum Patre, sed antè eum mortuus.	Philippus II. Rex. Vxor Yolanda.	Ludovicus VIII. Rex Vxor Blāca.	S. Lu- dovi- cus IX. Rex. Gallię.	Philip- pus III. Rex Gallię, qui spinam coronę Christi misit Yolan- dę.
	Ludovicus Rex iuni- or.	Petrus Im- perator Constanti- nopolita- nus. Vxor I. Agnes Ni- vernensis, II. Yolanda filia Bal- duini eo nomine IV Comitis Hannonię.	Philippus Comes Na- murensis. Obiit anno 1226. sine liberis.		
Ludo- vicus Crassus Gallię Rex.	Henricus ArchiEpif- copus Rhe- menfis.	Robertus Imperator Constanti- nopolita- nus.	Robertus Imperator Constanti- nopolita- nus.		
	Philippus electus E- piscopus Parisiensis.	Robertus de Curti- niaco, Ma- gnus Fran- cię Buticu- larius.	Balduinus Imperator Constanti- nop. eo no- mine II.		
	Petrus. Vxor Isabella de Curti- niaco.	Guiliel- mus de Curtinia- co.	Margarita nupta I. Rodulfo Vxillodu- nensi, II. Henrico Comiti Vi- ennensi.	Yolan- da Pri- orissa M A- R I Æ Vallis,	
	Constantia Nupsit I. Eustachio Comiti Bo- loniensi, II. Raymun- do Comiti Tolosa.	Ioannes de Curti- niaco.	Anna Prin- cipissa A- chaię, nup- ta Gaufri- do de Villā Harduini.		
		Alexia, nu- pta I. Gui- lielmo de Ioviniaco, II. Aimaro, Comiti E- colismensi III. Hugoni de Luzini- aco.	Yolanda, nupta An- dreę Regi Hungarię.		
		Eustachia, nupta Gui- lielmo San- cerano N. filia Clementia Constantia N. filia.	Mathilda, nupta He- rivo Comi- ti Ni- vernensi. N. Filia.		

deinde

deindè à matre variè agitatam, priusquam ritè
velaretur, & vixisse deindè in monasterio annis
35. qui anni collecti reddunt annos 52. His sub-
ductis ab anno mortis Yolande 1283. nata fuerit
anno 1231. Cantipratanus annum unum vite ad-
iecisse videtur. Dum enim maternas Yolande
vexationes commemorat, ait eas factas *infra trien-
nium*, quâ ratione nata fuerit anno 1230. In eâ
incertitudine mediâ viâ incedere placuit, natam-
que dicere Yolandam sub annum 1231.

AD CAPUT. II.

CONRADUS COLONIAE ARCHI-EPISCOPUS,
YOLANDAE COGNATUS. Hermannus.

Der Erzbischof Cunrad

Von Colone / der was hir mag.

Archi-Episcopus Conradus

Colonia, erat eius cognatus.

Cognitionis huius rationem deduxi in genea-
logiâ comitum Viennensium C. 1. sub finem.

AD CAPUT III.

HAEC CANTIPRATANUS DE WALTHERO.
Libro 2. cap. 29. §. 29. & 30. & 39. ubi de Yo-
landâ. Item cap. 30. §. 31. Plura de Walthero
vide infrâ, in notationibus ad caput 15.

CONRADUS, COLONIAE ARCHI-EP. COGNATUS MEUS.
Apud Hermannum Yolanda hoc loco Conra-
dum vocat **Oehme** / quod Germanis patruus
M est,

est, & annunculus; ut proindè Conradus fuisset, vel Henrici Yolandæ patris, vel matris eius Margaritæ frater, quod est falsum. Vocabulum ergò **Ochme** hîc posuit Hermannus more eius ævi, quo consobrinorum liberi ipsos consobrinos, patruos & annunculos appellabunt.

IN PRIMIS SOROREM. Ex Hermanno solo hæc nota; De eâdem iterùm cap. 4. sed ubique sine nomine.

AD CAPUT IV.

DESponsa sum. Hermannus: **ich bin berraden.**

FASCIAS ACUPICTAS, SERTA, FIBULAS GEMMATAS. Hermannus memorat in mundo illo muliebri Yolandæ, **Borden / schepelin / snuere / bozgespan.** Liber vetus Ms. Bibliothecæ nostræ, cui titulus *Hospes Italicus*, scriptus Italicè atque ab ipsomet auctore rhythmis Germanicis anno 1215. editus, in mundo vulgari mulierum eadem ferè recenset.

**Hentschu / Spigel / vingerlin /
Fozspang / schappel / blumelin /
Chyrotheca, specula, annuli,
Fibula, sarta, flosculi.**

Dicatur de singulis nostris.

Borden. Glossæ meæ veteres, scriptæ imperatore Friderico Barbarossâ: *Fascis, Borden. Fascia, Windelbant. Aurisfrigium, Goud bozde;* ubi **goud** est aurum. Gallis hodiè *broderie*, quasi *borderie*, est opus acupictum. Itaque **Borden / verti fascias acupictas. Schepelin.** Labbæus in etymologijis

mologijs Gallicis : *chapelaine ou chapelline, chapelier, petit chapeau de fleurs.* Hinc verti Serta.

Doorgespan. Glossæ meæ veteres : *monile,*
Dozspan. At Wiricus de Gravenberg in fabulâ
 Guigaloisij, fibulam vocat **bozgespan** / & ita
 describit in ornatu Lariæ.

Die Vrouwe dzug ein bozgespan
 Da en was nicht mer gesmides an
 Niewan ein doz guldin/
 Damit haste si den basem in/
 Das Dozspan was ein edelstein/
 Der dogh dzier Dartwen schein.
 Das eine deil ein smaragde was/
 Gruner dockein gras.

Ein Saphir was des anderen schein:
 Das dzitte ein edel rubin.
 Ztweene Lotwen / unde ein ar.
 Alsus hatte gemeistert dat
 Mit wozten Wzinck von Gravenberg.

*Domina gerebat fibulam,
 In quâ fabrile nihil,
 Nisi Spina aurea.
 Hâc nectebat sinum.
 Fibula erat gemma una,
 Sed quæ tricolor effulgebat.
 Pars una erat Smaragdus,
 Viridior nullo non gramine.
 Sapphiri fulgor erat altera
 Tertia nobilis pyropus.
 Leones duo, unaque aquila.*

Ita fabricatus est id opus

Verbis VViricus de Gravenberg.

Hinc **Dorzespan** verti *fibulas gemmatas*. Hodie nos ex prisca voce **Dorzespan** / partem retinemus, fibulamque dicimus **Spangel** / eiusque artificem **Spangeler**. Pro **gesmide** Wirici, posui *fabrile opus*. **Schmiden** enim est nobis fabricari. Hinc manavit, opinor, quod mundum muliebrem aureum, vocamus **gesmuck**. Antiquæ meæ glossæ. *Phalera, gesmida*.

IN INTERIUS CONCLAVE Hermannus, *Kemenade*; nimirum à camino, qui esse solet in conclavibus; *chambre à cheminée*. Ditmarus quoque vocabulo *caminata* pro cubiculo est usus.

AD CAPUT V.

FILIO MAIORE NATU FRIDERICO Filium tantum Henrici & fratrem Yolandæ nuncupat Hermannus, proprio præterito nomine. Ego Fridericum dixi, quia æquum erat filium potius maiorem natu, qui erat Fridericus, quam iuniorem, qui Philippus, ei negotio intervenire. Adde, quod fratris huius moderata ad Yolandam oratio, Friderico potius convenit, quàm Philippo, acri & severo iuveni; quem etiam Hermannus postea proprio caractere à ceteris fratribus distinxit; nimirum, quod patre mortuo, Comes fuerit Viennæ, quod Friderico convenire nequit, antè patrem defuncto. Denique observandum, fratrem Yolandæ,
de

de quo hic queritur, dici ab Hermanno **iunge grebe** / id est *Iuniolem Comitem*, quod patre vivente antè omnes alios, quadrabat in Fridericum maiorem natu, futurum patris in Comitis dignitate successorem, si fata sivissent. At Philippum aliter infrà Hermannus designat, ut ad caput 15. dicetur; præterquam quod eum solummodo **iunckere** patre vivo appellat, hoc est, iuvenem dominum.

A D C A P U T V I.

SCHACHORUM. Hermannus, ein **Schazabel und stein** / hoc est, *Schachorum tabula & calculi*; contractè enim voce **Schazabel** est usus; quomodo & auctor Hospitis Italici suprà laudatus. Eâdem formâ contractè. **Geluckſabel** appellamus expositas sortientibus merces, quod aleâ interdum in tabulam coniectâ is ludus peragatur. Intègrè vocem eam protulit Wiricus Gravenbergius.

Do gingen si tzu der Kuningin.

Da wunden si der salden schin

Und schoner Kurtzewile vil /

Von Schaachztabel und bond seiten spil.

Adibant Reginam.

Reperiebant ibi leta,

Multaque, pulchra temporis diverticula;

In tabulis Schachorum & fidium cantu.

Est autem Schachorum ludus, qui Romanis la-

trunculorum, de quo Martialis & Seneca. Veteri enim lingua Germanicâ, **Stach** Latrocinium significat, & *Stachator* latronem. Capitula Caroli Magni, Cap. XII. *Ego illam ad salituram, illud malum, quod Stach vocant, vel te sciam, non faciam, & quem scio, qui nunc latro, aut Stachator est, vobis Missis Dominicis non celabo. Item Hospes Italicus.*

**Hat in lichte der schachere
Ermordet durch sin gut.**

Fortè eum latro

Occidit propter eius bona.

Et Evangelia antiqua Germanica, Latrones cum Christo cruci affixos, vocant **Schacher**; quam vocem retinuit Eckius in Marco.

Calculos cum Senecâ dixi latrunculos: & Hermannus **Steine**, id est, Lapides. Alioqui olim lignei vulgò erant latrunculi, & inter Principes Elephantini Gemmati. Wiricus:

**Da lagen boz den Drouwen fier
Wurfztabel unde Kurrier /
Belwozcht van elphenbeine.**

**Mit edelin gesteine
Spilten si / mit holtze niche
Alseman nu Drouwen spilen siche.**

Iacebant ante Dominas generosas

Tabula aleatoria & cursores,

Quibus elaboratis ebore

Cum gemmis

Ludebant, non ligno,

Ut nunc Dominae ludere videntur.

Ubi

Ubi gewoercht positum est pro gewercht.

ALBIDA. Est eius mentio apud Fisenium in historiâ originis Festi Corporis Christi, dicitur-
que Abbâtissa D. Walburgis, quod qui ad Cœ-
nobium Eichstadianum pertinere volunt, longè
errant. Eichstadianum quippè Divæ Walburgis
Cœnobium à primâ suâ origine fuit, atque et-
iamnum est, Ordinis D. Benedicti. At Aleida
nostra Ordinis erat Cisterciensium, ut ex Her-
manno constat. Videant ergò, an Cœnobium
illud D. Walburgis, cui Aleida præfuit, non po-
tius dicendum sit illud D. Walburgis Cœno-
bium, de quo non uno loco Dialogorum Cæ-
sarius Heisterbacensis, dum agit de Rîchmundâ
Virgine, nominatque *Montem S. Walburgis*, attri-
buita ei *Abbâtissa*. Nunc *Walburberg* locum appel-
lant, Brulam inter & Monasterium Eifliæ, spe-
ctatque ad collegium nostrum Coloniense, nullo
amplius reliquo cœnobio, sed æde sacra operis
antiqui, olim mihi coram visa.

YOLANDÆ COGNATÆ. *Mumen*, seu amitas, vel
terteras, dixit Hermannus, sed impropriè. Ne-
que enim erant aut Henrici, aut Margaritæ, pa-
rentum Yolandæ, Sorores.

BELLACOSTA. *Schoncken* vocat Hermannus, con-
tractè, & infrâ cap. X. integrè *Schonecken*. Est anti-
quissimus vicus haud longè Prumia. Accessit de-
indè arx. De vico meminit vetus liber censuum
Prumiensium, scriptus anno 993. & Cæsarius,
quondam Abbas Prumiensis, ac deindè cœno-

bita Heisterbacensis, eius libri interpres, *Schonouht*, *Sconboye*, *Sconoie*; nunc *Schoneck*. V. A. Eustachius Wilthemius, in collectione familiarum equestrium Luciliburgensium, ita de arcis origine. *Domini in Schoneck à Comitibus Viennensibus descendunt, castrumque Schoneck ædificarunt in territorio Prumiensi.* Inter Prumienses enim fundos Bellacosta, seu *Schoneck*, iam ab anno 993. cenfebatur, ut dictum. Tempus porrò arcis exstructæ, non invenio. Cæsarius Heisterbacensis Auctor ille dialogorum, ita scribit. *Heredes D. Conradi de Boparden, qui morabatur in novo Castro, quod appellatur Sconecche.* Credibile est, non multò antè Cæsarium, qui scripsit anno 1222. ædificatam eam arcem, cum ei dicta sit nova.

Gentem porrò Bellacostanam, quod aiebat A. V. Præses Wilthemius, ortam à Comitibus Viennensibus, probant Bellacostana insignia, eadem, quæ olim Comitum Viennensium ante Godefridum Henrici nepotem, hoc est, Parma argentea, cum margine rubro.

Ad nomen Bellacostæ quod attinet, passim in vetustis tabulis Gallicis id ponitur, pro *Schoneck*; reddita nempe voce velut Gallico-Latina. *Schon* enim, nobis est bella, seu pulchra, *eck* autem, angulus, vel locus remotus, & ad latus situs. Quod autem ad latus est, Gallis est *du costé*. Undè illorum *cotoier*, *se venir à costier*.

A Viennensibus Comitibus Bellacosta deindè pervenit ad nostros Luciliburgenses, & cum Bellacosta

Iacosta ius Advocatiæ Supremæ Cœnobij Prumiensis, hodiè oppignoratum Archi-Episcopis Trevirensibus.

COGNATUM. COGNATAS Pro cognatis usus est voce impropria **Mumen** Hermannus, at pro cognato, propria. Ita enim inducit Hymanam Yolandæ loquentem.

**Van Kolne Biscof Cunrad
Der unser Zweier byuder ist/
Des megen du bil nae bist.**

Colonia Episcopus Conradus

Nostrum ambarum frater.

Cui tu cognata proxima.

Mege enim, cognata est. Mox iterum Hermannus **mum** improprie dixit de Hymana. Adeò receptus erat illo ævo is modus loquendi.

PER HÆC TEMPORA. Condidit testamentum Ermesindis anno 1246. nata annos 60.

A D C A P U T V I I .

TABULIS PUBLICIS. Ecce illas.

Hermesindis Dei gratiâ Comitissa de Lucelburg, omnibus præsens scriptum intuentibus notum facimus, quod nos allodium Theodorici dapiferi nostri, quod idem Theodoricus emit, & Ecclesiæ Sanctimonialium de Valle Sanctæ MARIÆ, cum consensu Elysæ uxoris suæ, liberaliter contulit, & protenditur à Semitâ, quæ de Schindelce transit in Calembach, usque ad rivum, qui dicitur Vischbach ex unâ parte, & usque ad rivum, qui dicitur Merlebach ex alterâ parte, eidem Ecclesiæ confirmamus, iuri

nostro, si quod in praesatis bonis habemus, vel habere potuimus, pro anima nostra remedio renuntiando, & tam haec bona, quam alia, quae praedicta Ecclesia in praesenti possidet, & in posterum favente Deo potuerit adipisci, in nostram recipimus protectionem. Ne autem haec nostra pietatis ordinatio ab aliquo in posterum impugnari valeat, vel infringi, praesens scriptum inde confectum, de consensu filij nostri Henrici Comitis, Ecclesiae tradidimus supradictae, sigilli nostri, & eiusdem filij nostri munimine roboratum. Datum anno Domini 1237. In Cathedra Petri.

ACCESSERE ALIAE TABULAE THEODORICI TREV. ARCHI-EPISCOPI. Has tabulas, quoniam primas Coenobij MARIAE Vallis res compendio complectuntur, operae pretium erit hic ponere.

Theodoricus Dei gratia Trevirorum Archi-Episcopus, dilectis in Christo filiabus. . . . Priorissae & Conventui de Valle S. MARIÆ Religiosam vitam Professis. In perpetuum Religiosam vitam eligentibus pastorale convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursum, aut eas à proposito revocet, aut robur sacrae Religionis infringat. Ea propter, dilectae in Christo filiae, vestris iustis supplicationibus clementer annuentes, Monasterium vestrum, & omnes possessiones, quas idem Monasterium in praesenti iuste ac canonicè possidet, vel in futurum legatione nobilium, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis praestante Domino poterit adipisci, sub B. Petri, & nostrae protectione suscipimus, & vobis, & his, quae vobis successerint, praesentis scripti privilegio communimus, in quibus haec proprijs vocabulis duximus exprimenda. Locum ipsum, in quo praesatum Monasterium situm est, cum omnibus

nibus pertinentijs suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usagijs & pascuis, in busco & plano, in aquis & molendinis, in vijs & semitis, & omnibus alijs, liberarijs suis, specialiter verò allodium, quod Theodoricus fundator vester ab Ecclesiâ S. Maximini emit, & de consensu Elise uxoris sue, & omnium heredum suorum vobis donavit. Et protenditur à semitâ quæ de Schindelce transit in Kalenbach, usque ad Rivum, qui dicitur Vischbach ex una parte, & usque ad rivum, qui dicitur Merlebach ex altera parte. Item ius Patronatus Ecclesiæ de Teutingen, quod vobis contulerunt Hadewidis Nobilis matrona de Schindelce, cum consensu Gerardi, Aubertini, Ylianae, Gerdrudis, Mechtildis, filiorum & filiarum, & omnium heredum eius, & Domina Aleidis, soror prædictæ Hadewidis, de consensu Gobolenis filij & Hadewidis filia, & aliorum heredum eius, & Elisabeth Domina de Holvels, de consensu Thoma, mariti sui, & Ludolfi & Ysenbrandi, Wilhelmi & Gobolonis, & aliorum filiorum & filiarum eius. Et Domina Margareta de Mambre, de consensu Thilonis, Wilhelmi, Jacobi filiorum, & omnium heredum eius. Et Richardus & Cono fratres, milites, & omnes, qui in prædicto patronatu habere iuris aliquid videbantur, sicut nobis per eorum omnium litteras patuit manifestè. Item ius patronatus Ecclesiarum de Beckirgen & de Vrilingen, quod vobis contulerunt Theodoricus & Albericus, filij Theodorici Fundatoris vestri, de consensu Aleydis & Elisabeth uxorum suarum, & Domina Agnetis matris ipsarum, & omnium dominorum, à quibus idem patronatus mediatè, sive immediatè descendit, sicut per ipsorum litteras nobis patebat. Item

ius patronatus Ecclesie de Rockingen, quod vobis libera-
liter contulerunt Alardus de Kons, Thomas de Lucem-
burch, Herbrandus de Ambele, milites, Henricus de Lu-
cemburch, filius Syburgis, Nicolaus & Waltherus filij
predicti Thome, & Abbas & Conventus S. MARIE
in Lucemburch. Huius autem Abbatis & Conventus su-
per predicta collatione litteras, oculis nostris vidimus evi-
denter, sicut & aliorum omnium vidimus, qui in predi-
dicto patronatu habere iuris aliquid videbantur. Item de-
cimam, quam vobis in Colpach contulit Theodericus Fun-
dator vester, de consensu Elise uxoris sue, & omnium
heredum eius, pro cuius commutatione retinuit bona de
Beringen, qua fuerunt Gerdrudis filie Domini Herbrandi
de Rupe. Item decimam, quam vobis in Parochia Crucis
contulit Wilhelmus miles de Heingen de allodio suo, quan-
ta videlicet parte totius curtis de Wolckringen. Item
decimam, quam vobis de allodio suo contulerunt viri No-
biles Wilhelmus, & Ioannes filius eius, milites de An-
senburch. Item decimam, quam vobis contulerunt Hen-
ricus miles, Dominus de Berge, & Domina Aleydis uxor
eius de allodio suo in Rennenburch. Item decimas, quas
vobis contulit Theod. miles, Advocatus de Aspelt, de
consensu omnium, quorum consensus erat requirendus.
Prohibemus insuper, ut nulli persona, post factam in Mo-
nasterio vestro professionem, fas sit sine Priorissa sua li-
centia de eodem loco discedere: discedentem vero absque
communi litterarum vestrarum cautione, nullus audeat
retinere. Prohibemus etiam, ne terras seu quodlibet bene-
ficiam Ecclesie vestre collatum, liceat alicui personaliter
dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capi-
tuli,

zuli, vel maioris vel sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter, quam dictum est, factæ fuerint, eas censemus irritas & inanes. Prohibemus nihilominus districte omnibus Sacerdotibus nostræ Diocesis, ut à nullo hominum, qui apud vos Ecclesiasticam elegerit sepulturam, aliquid temporalium pro extremâ Vnctione, vel Anniversarijs, vel tricenario Missarum, vel quacunque aliâ re, quam subditis suis ex suo officio tenentur exhibere, nec ante exhibitionem, nec post, nisi aliquid eis pietatis intuitu donatum fuerit, promissum audeat extorquere. Cum verò aliquis decedens apud vos elegerit sepulturam, mox post eius decessum adducatur, nisi in loco, ubi decesserit, fuerit Parochialis Ecclesia, vel Capella, ubi Missa Defunctorum prius pro eo valeat celebrari. Sacerdotibus verò vestri Ordinis Professis, & canonicè in Ecclesiâ vestrâ conversantibus, liceat confessiones audire, pœnitentias iniungere, & cætera Sacramenta conferre omnibus, qui in Ecclesiâ vestrâ habitum assumpserint religionis, vel qui ad agendam peccatorum suorum pœnitentiam iuxta Ecclesiam vestram declinaverint ad manendum: Sicut etiam eisdem Sacerdotibus, coniugatos, si qui ad vestram religionem transire voluerint, ne eos propter divortium matrimonij discurrere oporteat, recipere vice nostrâ, dum tamen provideant, quod si unum coniugum ad vos transire contigerit, & alter in seculo remanserit, remanenti, & ætatis provectus, & honesti habitus, & famæ meritum suffragetur. Porro si aliquis Archi-Diaconorum vel Officialium nostrorum sine nostro speciali mandato in Monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam

sententiam promulgaverint, siue etiam mercenarios vestros, pro eo, quod vobis aliqua beneficia vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, quibus vos laboratis, vel alij feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam irritam censemus & inane. Præterea, cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis in vestro Monasterio, exclusis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Ecclesiæ vestræ quoque paternâ in posterum sollicitudine providentes, prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere seu violentiam audeat exercere. Omnibus verò, qui Ecclesiæ vestræ manum porrexerint pietatis, vel infra octavas, siue in ipsâ octavâ Paschæ, vel Pentecostes, vel in festiuitatibus S. Crucis, S. Dominici Confessoris, Dedicacionis Ecclesiæ vestræ, & sanctæ Dei Genetricis MARIÆ, ob reverentiam eiusdem gloriosæ Virginis & vestram Ecclesiam confluxerint, eandem, quam Dominus, Papa Priorissa & Conventui Ordinis S. Mariæ Magdalena de Luicelenburgh largitus est Indulgentiam, & unam Carenam, misericorditer impertimur. Omnes verò, qui huic nostræ ordinationi contrariè, & vestram libertatem præsumpserint infringere, omnipotentis indignationem, & nostram excommunicationis sententiam se noverint incurrisse. Datum Anno Domini M. CC. trigésimo octavo. Id. Iulij.

AD CAPUT. IX.

HÆC CÆSARIUS. Vide eundem de alio Theodoricō

doirco de Rulandt in Palestinâ piè mortuo , lib.
11. cap. 24. SONIPES Hermannus Zelderpert;
nos Zelter.

SERTO COMITIS. Comites horum temporum
gestâsse ferta , vel hic locus evincit. Tunc autem
maximè gerebant , cum celebri aut solenni cultu
publicè apparebant. Erant ea ferta , quasi dia-
demata , aut ductæ ex auro circulares Laminæ,
quales priscorum Græciæ Regum. Comites por-
rò nostri cuiusmodi hoc ævo diademata gesta-
rent , cernere est in vetusto eorum insigni , quod
antè annos ampliùs centum ex gente Branden-
burgicâ vir nobilis in adversaria retulit , excep-
tum ex veteri aliquo monimento , hâc formâ:

DVCH DE LENBOVR CONTE DE LVSABOVR



Nec

Nec dubium, quin hæc insignia Luciliburgensia, sint Henrici Comitis nostri, illius ipsius, de cuius sermo agimus, cognomento Blondelli, aut certè filij eius, in prælio ad Buruncum cæsi. Nam antè Blondellum nullus comitum nostrorum parmam aut scutum insigni notatum gessit, ut ex omnibus eorum ceris ad tabulas publicas appensis constat.

Et Blondellus è nostris comitibus primus Leonem Limburgicum, post patrem Walramum Limburgi Ducem, trabibus substratis in parmâ habuit, ut vulgò notum. Undè in adversarijs Brandenburgicis rectè iunguntur Luciliburgensibus insignia Limburgica. Blondelli nepos, Henricus, postea Romanorum Imperator, materna Avesnensia insignia Luciliburgensibus in ceris addidit, quod & servavère eius posterì.

ALBA CAPITIS VELAMINA. Pro albo Hermannus, habet *blad dike wis*: pro capitis velaminibus, *Hoerschid* / Galli *couverchef*.

THORAX. Hermannus *Hursat*. Galli, *corset*.

DIES NON OMNINÒ QUATUORDECIM Herm. *Virzinnacht* / antè quatuordecim noctes; more veteri Gallorum. *Galli veteres per noctes tempus metiebantur*. Cæsar de bello, Lib. 6.

DUOBUS TOTIS ANNIS ET AMPLIUS. Ita Hermannus: *Cantipratanus, infra triennium; concorditer*.

A D

AD CAPUT X.

VISUM BELLACOSTAE COMMORARI. Clarum, ecce, fuisse Viennensium Comitum iam hoc tempore Bellacostam.

COGNATAE SUÆ. Hermannus, **Mumen**, amittæ, impropriè, ut solet, & quidem hoc capite aliquoties.

GENUS ERAT SALTATIONIS QUO IN ORBEM CIRCUMAGI SOLEBANT. Hermannus.

Den Virallep si nit en trad.

Viralleyam non saltabat.

Gallicum esse apparet **Virallep** / compositum ex *Virer* gyrare, & *aller*, ire. A Gallis ergò, quibus sumus finitimi, tractum saltationis huius nomen. Et alioqui multi in Hermanno Gallicismi. En aliquos.

Remanant, reliquum. **Tamburen** / *tympana*, *Tambours*. *Provende*, præbenda. *Instin*, pugna, Gall. *ioute*. **Ockesune** / occasio, Gall. *occasion*. *Feste machen*, Gall. *faire feste*. **Truandien** / Gall. *truandise*. **In goude poincte** / Gall. *en bon point*.

DECERNUNT EVOCARE COLONIA ALBERTUM. Bis docuit Albertus Magnus Coloniae. Primùm, antequàm esset creatus magister: iterùm postquam Parisijs dignitate magisterij exornatus est, ut observat Petrus de Prussia rerum eius gestarum collector. Et hanc alteram vice discipulum habuit D. Thomam, missum ad eum Coloniam anno 1245. ut docet ad huius acta Henschenius. Hermannus hoc loco Albertum vocat **Lesenmeister** / Magistrum Lectorem.

N

AD AC-

AD CAPUT XI.

COMMUNEM NOSTRUM SANGUINEM. In Hermannō est.

Das ich dir sippe si.

Quod tibi sim cognata.

Hæc Hymana ad Henricum Yolandæ patrem. Mox tamen Henricus inducitur Hymanam compellans amitam, *mume*; planè impropriè, cum essent Hymana & Henricus Sororis & Fratris liberi, seu cognati germani. Mihi videtur (ut hoc semel moneam) eius ætatis homines vocabulo *Oehme*/ id est avunculi vel patruī, & *mume*/ hoc est, amitæ seu materteræ, linguâ patriâ loquentes, compellâsse cognatos, cum aut reverentia, aut gradus nascendi id quodammodò exigeret. Sic Yolanda Hymanam eiusque Sorores *mumen* vocat, quod uno gradu se anteirent, Henricus autem eandem Hymanam gradu sibi parem *mume*/honoris & reverentiæ causâ, quippè Abbatissam, nuncupavit. Quin adeò vulgò iam nostri populares illum morem habent, ut famuli heros, *Oehmen* / Avunculos seu Patruos, famulæ verò heras, *mumen*/ amitas, seu materteras, honoris causâ appellent; quæ eadem reverentia inter Juvenes atque senes intercedit.

VICARIUM TE SIBI LEGIT. Hermannus disertè:

**Man ug des ordens Meister hat
Belascen wol in siner stat.**

Cum te ordinis Magister

Suo loco relinqueris.

Non

Non tamen alibi tradi puto vicariam hanc Alberti Ordinis Magistri potestatem. Fortè ad id tantùm hæc illi potestas data, ut in ordinem, quos idoneos iudicaret, susciperet.

AD CAPUT XII.

YOLANDÆ SANGUINE IUNCTA. Hermannus hanc D. Thomæ Antistitam bis *mune* vocat, hoc est, ut dixi, *Yolanda sanguine iunctam*. Ceterùm illa Antistes non fuerit Elisabetha de Dunâ. Cùm enim esset soror Conradi Hochstadani, Colonienſis Archi-Episcopi, fuisse quoque debuit ex gente non Dunensi, sed Hochstadanâ vel Durassiâ, siquidem Soror tantùm Conradi fuit uterina, quod incompertum. Credibilius fuisse Luciam, quæ Elisabethæ successit, & ad annum usque 1294. supervixit, ut ex catalogo Abbatissarum D. Thomæ, à Christophoro Browero ex antiquis monumentis in suâ metropoli Trevirensi collecto, me monuit noster Masenius.

AD CAPUT XIII.

MULIEBRI RELIGIONE TUA. Herman. *Beggardien*.

ANCILLARI PENE HABITU. Id disertè Hermannus, sed addit.

Einer beginen ging si glich.

Vt begina se vestiebat.

N 2

AD CA:

AD CAPUT XIV.

FORTE PER ÆSTATEM. Fuit ea ætas anni 1246. quia deindè Pascha unum intercessit, priusquam Yolanda anno 1248. Cœnobium ritè ingressa est, ut dicam ad caput 16.

AD CAPUT XV.

CUI DEINDE CESSIT COMITIVAE DIGNITAS. Non aliter hunc Yolandæ fratrem designat Hermannus, nomine proprio omisso; sed nos supplevimus, & Philippum posuimus. Neque enim alius, fratrum Yolandæ Comititis Viennensis titulum gessit, & in posteros propagavit, quam Philippus. Eum autem Yolanda nominat *Junchere* / id est, Domicellum, quod reverà tum esset iunior, & natu minor, quàm Fridericus. Obiit porrò Philippus, quem Hermannus occupavit *Jungegrebe*, id est, iuniorum Comitem, ut supra monui, ann. 1272.

FRIDERICUS ET HENRICUS, non Philippus, ut ego planè censeo. Absurdum enim est credere, Philippum, Yolandæ tam infestum, & recentem eius reprehensorem, eam solari voluisse.

ARGENTORATUM, AUT AD ALIUD EIUS GENERIS COENOBIIUM HINC ABLEGATE. Nondum hoc tempore Virgines Dominicanæ sedem Argentorati fixerant. Ex hoc loco tamen effici videtur, iam nunc de Cœnobio eis Virginibus ibi condendo agitatum. Et mirum, nisi curante aut interveniente Walthero Meisenburgico, summo illo Yolandæ patrono;
præ-

præsertim cum probabile sit, Waltherum Argentoratensis cœnobij fuisse Priorem, quem pluribus locis munere eo functum, testis est Cantipratanus. Et Humbertus illorum temporum scriptor, tradit in vitis PP. Prædicatorum, Priori Argentoratensi tunc fuisse nomen Gualtero, quâ formâ Itali & Galli nomen Waltheri efferebant. Locus Humberti est Capite XXVI. ubi de Walthero ceu viro sancto, præclara multa & admiranda, nec præterita mentione Monasterij Virginum Dominicanarum Argentoratensium. De origine porrò Cœnobiorum Prædicatorij Ordinis eius Civitatis, in Chronicis meis duobus Argentoratensibus Germanica manu exaratis, perductisque, altero ad annum 1550, altero ad annum 1555, ita traditur. Venisse Prædicatores Argentoratum anno 1224. sedemque fixisse ad Divæ Elisabethæ extrâ urbis mœnia. Migrantibus eis deindè in Civitatem, Virgines anno 1258. ad D. Elisabethæ successisse.

AD CAPUT XVI.

FUIT UT IN PASCHATE, quod æstatem superioris anni, de quo capite præcedenti, secutum est, & Annum 1248. antecessit.

SANCTIMONIALEM AGERE. Hermannus :
Begine sin : *Beginam esse.*

N 3

AD

AD CAPUT XVII.

PARTHENONEM ILLUM CONDIDERAT. Exstant eâ de re tabulæ, quas opere pretium erit hic publico dare.

In nomine S. & individue Trinitatis. Ego Gerardus, divinâ favente gratiâ & misericordiâ, Sanctæ Prumiensis Ecclesiæ humilis minister, universis Christi-fidelibus, tam futuris, quam presentibus, salutem quæ est in Christo IESU. Quod ad honorem Dei, & ad utilitatem Deo servientium piè à nobis & rationabiliter factum est, memoriæ litterarum commendare dignum duximus, quatenus per hoc & res gesta necessaria sibi firmitatis robur in presenti obtineat, & omnis calumniandi occasio in futuro conquiescat. Cum enim certum sit, brevem esse & momentaneum presentis vitæ statum, quandoquidem non habemus hîc manentem Civitatem, competit nobis, operibus bonis vigilantè insudare, ut ad caelestem patriam & civitatem æternaliter manentem, pervenire valeamus. Placuit itaque nostræ discretioni, Deo servientes, cuiuscunque sint Ordinis, in caritate non fictâ deligere, & in necessitate rerum temporalium, in quantum possumus, Domino auxiliante sustentare. Inde est, quod quandam nobilem mulierem, lineâ consanguinitatis nobis proximam, habitu, voto, & conversatione honestam monialem, Sophiam nomine, Abbatissam dictam & consecratam, in partes nostras cum paucis sororibus eidem subditis venientem, benignè suscepimus, quæ relictis cognatis & amicis, terraque nationis suæ, in terrâ sibi suisque aliquantum aliena, in pace & quiete omnibus diebus vitæ suæ, Deo

servire

servire devotissime desiderans, nostra nostrumque amicorum providentia, tuitioni, consilio atque auxilio humiliter se supposuit: Nos vero tam devotum mentis eius considerantes desiderium, & immutabile in sexu fragili propositum admirantes, situm voluntati eius satis congruum iuxta capellam cuiusdam curia, quae inferior Prumia nuncupatur, & eandem capellam nostram cum appendicijs ex integro, & beneficium atque allodium cuiusdam hominis nostri, ab heredibus legitimis in manus nostras voluntarie resignatum, consilio fidelium nostrorum, ei perpetualiter donavimus. Ipsa vero tres virgines valde parvas, iam dicti beneficii & allodij heredes, solita pietate sibi adiunxit, quas maternae dilectionis affectu sub regulari disciplina sui ordinis, ad serviendum Deo erudire studiosè curavit: capellam quoque, in quotidiano Dei servitio diu neglectam, venerabiliter reformavit. Nos igitur bonis eiusdem ancillae Christi principijs congaudentes, cum praedicto loco duas matres Ecclesias, videlicet Merriche & Rumersheim, cum filiabus earum, praefata Abbatisa & his quae post ipsam future sunt, perpetuo iure possidendas tradidimus, salvo per omnia & intacto iure, quod ad prebendam Prumiensium Monachorum ex antiqua constitutione pertinere cognoscitur, simulque servitio, quod Abbati de utraque Ecclesia debetur. De cetero, Abbatisa, quidquid ad commoditatem suam inde ordinare poterit, suis & Cœnobij sui usibus accrescet. Nihilominus, arbusta, quae sunt in colle qui dicitur Camervorst, ei concessimus, ita ut sex denarios inde annuatim solvat. Locum quoque molendino construendo idoneum ei donavimus, quod cum edificatum fuerit, quinque maldros sili-

ginis exinde per annos singulos Abbati reddat. De cetero soror mea Adheleidis Comitissa de Mulbach, venerabilis Vidua, de allodio, quod à proavo, avo, & patre legitime possederat, partem unam, videlicet villulam quæ Hoverode appellatur, cum omnibus appendicijs, mancipijs, agris, pratis & silvis, exceptis inbeneficiatis, pro salute animæ suæ suique mariti & natorum, omniumque successorum suorum, ad serviendum Deo gloriosæque Virgini **MARIÆ** & Sanctis Martyribus Gordiano & Epimacho, in perpetuum devotissime loco eidem donavit, & me successoresque meos sanctæ Prumiensis Ecclesiæ Abbatres, Advocatos & defensores auctoritate & gratiâ omnipotentis Dei solemniter instituit. Præterea de decimâ in Nunkirchen quatuor modios tritici, sex modios siliginis, viginti modios avenæ, monialibus in eadem capella Domino servientibus, singulis annis antè diem Natalis Domini **IESU** Christi, sine omni impedimento persolvi, firmiter & multum devotè instituit. Nos igitur cum prædictâ Comitissâ & pluribus honestis viris antè altare supradictorum martyrum venientes, sub stolâ anathematis confirmavimus, quod nulli unquam hominum hæc immutare vel infringere liceat, sed rata & inconcussa in perpetuum permaneant. Si quis autem hanc nostræ institutionis confirmationem violare, mutare, seu infringere præsumperit vel attentaverit, perpetuò anathema sit, iramque & indignationem Beatissimæ Virgini **MARIÆ** incurrat, & inevitabiliter filij eius Domini nostri **IESU** Christi vindictam æternaliter sentiat, nisi humiliter & tempestivè resipiscat. Ex multis assistentibus quorundam nomina in testimonium conscribi fecimus. Gerardus
Eccle-

Ecclesia S. Salvatoris Decanus, Theodoricus Scholasticus, Bertramus Custos, & plures Ecclesie Ministeriales. Hec acta sunt & sigillo S. Salvatoris, nostro quoque, & Comitisse, insignita, anno Dominicę Incarnationis 1189. Indictione septimā, epactā duodecimā, regnante Domino Henrico gloriosi Imperatoris Frederici filio feliciter.

Sepulta deinde est Adelheidis illa Mulbachia in æde Niderprumiensi, ut filia eius Alveradis memorat in tabulis anni 1207. teste adscripto eodem Gerardo Abbate avunculo suo.

AD CAPUT XX.

ANNUS ERAT 1248. Cū enim Yolanda obierit anno 1283. & fuerit annis 35. Sanctimonialis, ut hoc capite auctor est Hermannus, sequitur, ut anno 1248. Cœnobium ingressa sit.

FINIS.



NS

God-

Godefridus. Gerardus. Friderecus. Sigifridus. Godefridus
Comites Viennenses ignota generationis.

Fride- cus,	Henri- cus Vxor Marga- rita.	Frideri- cus Vxor N. filia Comitis Salmen- sis, po- stea Ab- batissa Ordinis Cister.	Henri- cus o- bijt iu- venis.	Ex 1. Vx. Philip- pus Vx- or Alei- dis Arnf- bergica.	Maria nupst Simo- ni de Span- heim,
	N. filius.	N. filius.	Gode- fridus Vxor 1. Aleida ab Al- denar- da.	Gode- fridus Vxor Maria Flandra.	Alei- da nupst Otho- ni, Nasso, vico,
N,	Ex 1. ma- rito.	Philip- pus Vx- or. Ma- ria de Perwi- ciaco.	2. Lut- garda de Lig- ny.	Henri- cus Vx- or, Mar- garita Falco- montia.	
Ma- thilda nupta I. Lo- thario Comi- ti de Hoch- stad. 2. Henri- co Du- rassio.	Lotha- rius Co- mes de Hoch- stad.	Henri- cus Epif- copus Traie- ctensis.	Philip- pus V- xor So- phia de Scor- naco.	Ex 2. Vx. Ludovi- cus Ca- nonicus Leodi- ens. Præ- positus Mona- steriens.	
	Conra- dus Ar- chi-Ep. Coloni- ensis.	Petrus, ex Præ- posito S. Martini Leodij, Domi- nicanus.	Marga- rita. Nupst Arnol- do Co- muni Lof- fensi.	Ioannes Canonis cus S. Lam- berti Leodij.	
	NN. Alij liberi.	YOLAN- DA Prio- rissa in MARIÆ Valle.		Lutgar- da Nup- ta 1. Warne- ro Däu- lensi. 2. Ioanni Som- breffæ Dom.	
	Ex 2. Marito. Hymana Abbatif- sa Salsi- niensis.	N. filia,			
	Ex 1. an 2. marito. dubium Aleida Abbatif- sa S-Wal- burgis N. Begi- na Do- mina de Hengen- bach. N. Ab- batissa ad D. Thomæ.				

GE-